

**Oratio ex Harveii instituto in aedibus Collegii Regalis Medicorum  
Londinensis habita die Junii XXVIII. MDCCCLX / a Gulielmo E. Page.**

**Contributors**

Page, William Emmanuel, 1808-1868.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Londini : G.J. Golbourn, 1860.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vtgep4g4>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8

# ORATIO

EX

## HARVEII INSTITUTO

IN ÆDIBUS

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS


HABITA

DIE JUNII XXVIII. MDCCCLX.

---

A GULIELMO E. PAGE, M.D. OXON.

COLL. REG. MED. LOND. SOCIO.



LONDINI:

EXCUDEBAT G. J. GOLBOURN.

MDCCCLX.


# ITALIA

LA VITA ITALIANA

LA VITA ITALIANA

LA VITA ITALIANA

LA VITA ITALIANA





# ORATIO HARVEIANA.

---

PRÆSES DOCTISSIME,  
SOCII ET AUDITORES ERUDITI!

**H**ARVEIUS noster, hoc Regium Collegium Medicorum, postquam dotavisset ac ditavisset, prudenter admodum instituit, festum diem quotannis agi, in quo orationem in memoriam illorum nominatim qui de republicâ benè meruissent, et præsertim in hoc Collegium beneficia contulissent, in linguâ Latinâ socius aliquis haberet; eo consilio, ut ad eorundum imitationem, et ad naturæ optimæ ducis studium, præsertim per experimenta, incitentur posterî.

Benè et sapienter, meâ quidem sententiâ, institutum erat. Quid enim gratius et jucandius, quid liberali animo magis consentaneum, quàm more solemni, ita majorum laudes celebrare, et beneficia in cives universos collata recensere? Quid utilius ad nostros animos in virtutis amorem, in liberalem sine invidiâ, sine rixâ, honoris ac dignitatis ambitum erigendos, quàm hæc frequens recordatio, inveniri possit?

Ingenuo cuiquam tristis sanè est cogitatio secum reputanti, quàm pauci eorum, qui ingenio gestisque suis mundo profuerunt, aut prodesse voluerunt, famam sibi perennem paraverint; adèò fluxus temporis, aut præsens invidia, aut rerum humanarum vices iniquo quasi turbine merita atque inventa eorum submerserunt.



Hanc injuriam ne viri in nostrâ arte insignes hodiè paterentur, et nosmetipsi nè damnum grave per talem negligentiam acciperemus, optimè cavit, ut opinor, Harveius, solennem hanc celebrationem instituendo.

Hinc enim evenit ut nemo nostrùm, qui artem suam benè tracterit, suo præconio egeat; atque ut singulum quodque artis incrementum, et felicius usus justis palàm titulis, si ita dicam, et suâ quasi imagine in hâc aulâ condecoretur.

Itaque talem celebrationem et congruam et apprimè utilem esse nemo opinor inveniendus est qui inficias ibit.

Attamen unâ et alterâ vice nostris comitiis interfuisse mihi accidit, quando orator noster linguâ hodiernâ sibi non licere uti graviter conquestus sit:—"Se scilicet compedibus quasi obstrictis sentire, nec eloquii vim promere posse, ideòque hanc legem, Latinè loqui, rescindendam penitè putabat."

Certè nunquam ita quicquam spectatum et perfectum fuit, "quin res, ætas, aliquid apportet novi; aliquid moneat, ut illa, quæ tibi putâris prima, in experiundo repudies." Sed in hâc re parùm illam sententiam valere mihi est persuasum.

Quò tandem redit ista accusatio?

An Latinè loqui veræ rerum medicarum scientiæ obstitisse unquam repertum fuit? Anne id, in quo quasi fundamine tota liberalis institutio semper ubique constitit, literis humanioribus penitè imbui, nullam vim habere in hâc nostrâ provinciâ existimetur?

Nam parvi momenti habebitur seu vir culti, sive inculti ingenii, humanus an inhumanus, nè dicam ferus, moribus ac ingeniis medicus evaserit?

Non sic judicavit Harveius noster.

Ei haud satisfecit ut qui hoc divinum penè inter homines munus suscipere vellent, scientiam suam, ut ita dicam, obiter ac temerè



prehenderint. Fontes sacros adire, et mentem bonis disciplinis studiisque humanioribus penitè inigare nos hortatus est, exemploque suo docuit.

Duplex profectò fructus à literarum studio exoriri solet. Primò quòd nullà alià ratione, quàm literis veteribus in manu versandis, mens tam acuitur et expolitur. Deinde, quòd his quasi eruditionis magistris in pueritiâ subjecti, nos nimiam istam confidentiam quæ suo sæclo, nè dicam sibimet ipsi, præter modum ineptèque gloriatur, ultrò dediscimus.

Porrò si linguam Latinam spectes, partesque, quas in universâ hominum culturâ per tot sæcula egerit, diligenter perpendas, nonne omnibus statim occurrit in hâc linguâ scientiæ omnes indagations et inventa olim vulgata esse? In hâc vetustatis monumenta conservata! Hinc barbariei et ignorantiae nubibus fugatis, medicina stylo accurato, lucidoque rerum ordine primùm eluxit, et statum sibi honorificum vindicavit!

Quin in hâc eâdem linguâ, Collegii nostri annales priores, statuta, Pharmacopœia nostra, nostræ formulæ, usque adhuc scripta sunt.

Quid si sagax ille animo forsitan prævidisset diem in quo à nostris studiis, nostrâ disciplinâ literæ humaniores penè alienatæ forent? Angliæque Academiæ antiquas Medicinæ studiosis tantùm non desertas, vel perpaucis frequentatas; tantoque malo cupiens occurrere, normam hanc nobis prudens imposuerit?

Sed de hâc re satis disceptatum est. Defendat quod quisque sentit. Sunt enim judicia libera.

Nos, ut spero, institutum Harveii tenebimus.

Quicquid eveniat, hoc sanè gratulandum omnibus nobis puto, scilicet artem Latinè loquendi non hactenus in desuetudinem apud nos abiisse. Testor, ut omittam alia, obtrectatoris ipsius exemplum, qui in oratione suâ facetâ admodùm, copiosâ, luculentâ, pariter quem



vigorem, varietatem et distinctionem, sermo Latinus habeat et quàm habilis et eruditus ipsemet in rebus hodiernis Latinè exponendis sit, planissimum indicium præstitit.

Sed ad rem redeo.

Ex ordine præscripto ad hoc munus tuo jussu, Præses ornatissime, demandatum, jam me pro viribus meis (quæ utinam dignæ essent tanto argumento et talis cætus favore) accingo. Non sanè sine magnâ animi contentione, immò dicam, metu coram vobis, socii, prodeo materiam tàm gravem et nobilissimam tractaturus; nec me latet exiguum quod in me est ingenium contemplans, quantum sit periculum, ne cùm rei ipsius dignitati tàm vestræ famæ et auctoritati pro meâ voluntate satisfecerim.

Id quoque in mentem venit permultos, qui in hocce officio antecesserunt, egregios viros ad plenum probâsse, quid in tali re vis præstantior ingenii scientiâ multiplici studiisque uberrimis aucta et polita, necnòn longâ experientiâ confirmata, valeat, Collegii nostri prætereà historia plerisque vobis, socii, satis superque nota est. Nec mihi spes ulla vobis aliquid forsàn novi de majoribus nostris in lucem hodie proferendi est.

Quibusdam autem è numero, qui hodiè nostram aulam ornant, nec paucis quidem, res aliter constat. Pauca ideò illorum gratiâ qui in hâc materiâ parùm versati sunt jam liceat pro hâc vice brevè disserere.

Nostrum fundatorem eximium, et omnes majores qui illius exemplum æmulantes in nostram societatem beneficia contulerint, in his orationibus silentio semper præterire, neque decorum neque commodum mihi videtur esse.

Quòd si literæ humaniores non nihili habendæ sint; si, ut Ciceronis verbis utar, “Nihil sit tam angusti tamque parvi animi quàm amare divitias. . . . Nihil honestiùs et magnificentiùs, si habeas, quàm ad benevolentiam et liberalitatem conferre.” Num



Linaeri, Caii, et talium insignium virorum eruditio et munificentia, vitæ integritas, constantia, religio ergà sedes humanitatis et nostram societatem, nihil nobismetipsis hodiè imitandum præbent, nec nos ut ne quid inhumanum ne quid inhonestum in nostras vitas admittamus, et Medicinæ Facultatis, et hujusce domûs honorem et famam sustentemus, commoneant neque commoveant?

Quantum gratiæ Linaero et suis collegis, referendum sit qualisque fuerit medicinæ et medicorum status, qui tunc temporis in Angliâ inveteravit, facilè ex Henrici Octavi literis Collegii institutionem nostri concedentibus nos colligamus, istiusque recordatio a proposito nostro minimè aliena est.

Nobis autem hodiè hujus ævi ignoratiam et turpitudinem exprimere aut vix in mente effingere difficile est. In sæculo decimo sexto Angliam, in literis humanioribus parùm adhuc profecisse, et inter Europæ civitates in Medicinâ saltem partes ferè postremas tulisse confitendum est. Medicinæ Facultas vix vulgò agnita non adhuc lege aut statutis sanciebatur. Pro scientiâ et philosophandi studio, pro naturæ indagazione ignorantia summa, fabulæ aniles, somnia.

Artem et scientiam, quales quales tum exstiterunt, ordo clericus, quippe qui solus scientiâ et literis præditus esset, exercebat plurimùm, et sæpenumero, "Homines improbi avaritiæ magis causâ quam bonæ conscientiæ fiduciâ profitebantur, unde rudi et credulæ plebi plurima incommoda oriebantur."

Hæc cùm ita essent, Linaerus, non domi habens unde Medicinam disceret, in Italiam commigratus, quicquid scientiæ et humanitatis Padua, Florentia, Roma tunc temporis excoluerunt penitùs arripiebat; et mox in patriam redux operam suam et facultates omnes conferebat, ut Medicina pariter cum literis renata se sordibus et barbarie exueret, et professoribus suis, in societatis vinculum commune allectis, dignitatem et liberalitatem vindicaret. Hinc nostri Collegii,



hinc nostræ auctoritatis, et medicorum statûs liberalis, fons et origo.

Linacro idcirco quæ tanta est laus, quis tantus est honor qui non è nobis debeatur? Medicis omnibus prætereà superbiæ et gloriationis non inhonesta causa est, principem inter viros qui humanitatis thesauros, et quicquid Atticæ, quicquid Romanæ in Academiis peregrinis inesset elegantiae in nostram patriam transtulissent, fuisse Medicum.

Henrico Octavo autem, qui primus, Linacri precibus inclinatus, constituit audaciam et ignorantiam circulatorum compescere, et Medicis Collegium et privilegia nostra concedere, Gratiae in hâc re agendæ sunt magnæ, immò ingentes, si Henrici Regis in nos favorem statuto Senatûs nuper perlato, et amaris inde ortis et orituris in nostrum Collegium fructibus, comparemus.

Post Linaerum, Medici illustres tùm laici tùm clerici, nostræ Societatis nascentis primordia aluere, et studiis operibusque ornaverunt.\*

Qualis erat Wottonus, primus qui apud nos in scientiæ naturalis studium incubuit esse videtur.

Qualis Buttus, Henrici Octavi medicus, à nostro Gulielmo Shaksperio memoriæ proditus. Wolseii familiaris; amicus insignium illorum fidei usque ad martyrii coronam defensorum, Cranmeri et Latimeri, quorum fama apud Anglos nunquam interitura est.

De hoc viro Aschamus Wendæo scribit—"Indue totum Buttum, hoc est totum animum, studium, voluntatem ejus ergà literas. Clarior vir ad imitationem proponi, major dignitas ad laudem requiri profectò non potest."

\* Munko nostro, Bibliothecæ Custodi Harveiano, qui in MS. (cui titulus est "The Roll of the Fellows of the Royal College of Physicians.") Societatis nostræ historiam funditùs et feliciter exposuit, me plurimùm debere, et decet et gratum est agnoscere.



Testor insuper Caium Linacro in scientiâ, in literis humanioribus, in munificentiâ proximum. Benefacta ejus in suam quàm dilectam Cantabrigiam omnibus nota sunt. In nostram Societatem autem multa contulit. Primus ille apud nostrates anatomiae fuit conditor, et anatomicis suis prælectionibus disciplinæ tam chirurgicæ quàm medicæ vera fundamina posuit.

Caii curæ et diligentiae annalium nostri Collegii primordia debemus.

Caio debentur tui Officii, Præses ornatissime, insignia mystica. En! Virga argentea, non ferrea, disciplinam mitem clementemque; Serpentes, sapientiæ indices, prudentiam in nobis regendis significant.

Sed in hâc materie non amplius morandum est. Ad nostræ orationis auctorem, initium seipsum et finem, Harveium (nomen si usquam in terris, immortalitate dignum), festinare tempus monet.

De Harveii vitâ et fortunis quodcunque memoriæ proditum fide dignum sit, summâ elegantîâ Latinè exposuit Laurentius.

Post studia in omni literarum et scientiæ genere primùm Cantabrigiæ deinde Pataviis producta, in Angliam Harveius reversus, mox in nostrum Collegium Londinense cooptatus est.

Post paucos annos in prælectionibus à Lumleio et Caldvallo institutis coram nostratibus suas sententias de cordis motu et sanguinis circuitu primùm promulgâsse fertur, quas posthâc ampliùs elaboratas atque pluribus experimentis et rationibus stabilitas et confirmatas, typis excudendas tandem commisit.

In his exercitationibus quàm breviter, quàm simpliciter, sermone ornatiore neglecto, veri magis atque argumenti dignitatis quàm verborum studiosus, conclusiones maximi momenti et hactenùs inauditas demonstrat, nempe, "quòd sanguis per pulmones et cor, pulsu ventriculorum transit, et in universum corpus impellitur: Hinc per venas undique, ab exiguis ad majores, de circumferentiâ ad



centrum, inque Venam Cavam remeans, ad cordis auriculam tandem venit."

Non hic locus narrandi experimentorum ordinem, aut vim rationum earum quibus Harveius suam sententiam tuetur. Hæc enim omnia pro certis constant, et ab omnibus accepta sunt, nec refellere ea hodiè quisquam aggrediatur. Ast nihil humani tàm spectatum aut tàm perfectum usquam exstitit, quod invidiæ et malevolentiae morsum evitare possit.

In Harveium, his inventis promulgatis, cynici omnes continuò, omnes qui Aristotelis, Galeni, aut cujusvis præclari nominis auctoritati nitentes, in medicinâ omnia ab illis adeò consummata, ut ne quidem hilum superaddi possit, crederent, oblatrare et virus acerbitalis suæ evomere.

Maledictis autem maledicta rependere, Harveius contrà indignum philosopho et veritatem indagante judicabat; sed satiùs et consultius fore has contumelias silentio prætermittere. Dicere enim solebat "Indicium esse causæ non bonæ, pro eâdem rixosè acriterque contendere: veritatem autem patrono non indigere."

In omni responsione, cum operæ pretium respondere sibi visum est, argumenta argumentis opposuit, nihil arroganter sibi vindicans, sua cuique tribuens. In scriptis omnibus qui candor! quæ æquitas et modestia! quæ verbis fides!

De hoc opere insigni in quo hodiè medicinæ verum fundamen ponitur, non suprâ modum dixeris si nihil in omnibus anatomie et physiologie inventis ad vitam tàm magni momenti, nihil huic aut par aut simile, usquam prolatum esse affirmaveris.

Hoc, quamdiù sanguis in corde humano pulsu agitetur, monumentum ære perennius vivet et in æternam memoriam Harveii nomen inter humani generis benefactores præcipuum conservabit.

De aliis suis operibus nunc taceatur.

Qualis autem vir apud familiares esset Harveius ab Entio nostro



et aliis qui cum illo in consuetudine intimâ conjuncti erant, accepimus. In colloquio familiari suas sententias mirâ dicendi copiâ proferebat: tristem severitatem vultûs saevi comitate et leporibus ita condivit, ut semper apud omnes summâ gratiâ et summâ auctoritate esset. Cùm imaginem spectes, verum hunc hominem haud dubites dicere. Virum ingenio promptum, animosum, mente sagacem, constantem facile credas, scitum et lepidum lubenter.

Maximam semper benevolentiam nostræ Societati præstitit Harveius, Bibliothecâ, (ut omittam benefacta alia) libris nostrum Collegium ditans, et prope jam vitæ decurso spatio, prædium à patre sibi relictum sociorum usibus addixit. Non multò post annis et podagrâ confectus; "placidissimo animo" (ut Entius amicus ejus summus narrat) fati necessitatem subiit.

Ejus quod mortale fuit post paucos dies, sociis funus longè extrâ urbis mænia comitantibus, Hempstadium in agro Essexensi elatum sepulchro conditum fuit.

Præterito anno rumor ad nostras aures pervenit, Harveii sarcophagus, crypto ecclesiæ fenestrâ parùm defenso, ventis et pluviis patens, nè rimosus mox penitùs corrumpatur, periculum esse. Non mora, Thesaurarius noster, quibusdam sociis iter unâ facientibus, Hempstadium se contulit, et crypto lustrato ruinæ imminentis certior factus, Comitibus Sociorum statim de industriâ habitis, rei fidem confirmavit.

Uno animo, uno ore sociis omnibus desecrationi ingruenti occurrere placuit. Utinam hoc nostrum decretum peractum fuisset; et, Harveii ossa, crypto sarcophagoque sartis tectis, iterùm salva requiescere in pace, ut speramus, in diem resurrectionis beatæ reservata, dicere potuissem!

Ad Collegii res revertamur.

Exardescente bello civili, necnòn sub imperio Cromvelli, res Collegii nostri, usque adhuc florentes, perturbatæ erant omnes; et auctoritas nostra in summum discrimen venerat.



Expensis non sufficiente ærario, prælectiones omitti necesse erat. Examinationes interruptæ erant. Collegium porrò sub hastâ positum magno suo impendio à Baldvino Hamæo redemptum erat. Medici complures intrâ mænia Urbis Londini, non Collegii nostri Licentiâ practicandi donati, Collegii privilegiis contemptis, medicinæ facultatem exercebant.

Hamæi in manuscripto in linguâ Latinâ cum titulo, "Aliquot Bustorum Reliquia," lucidè admodùm et pulcherrimè scripto, in Collegii nostri bibliothecâ servato, multa obiter de medicorum statu, in istis temporibus inquietis gravi molestiæ, necnòn dedecori, obnoxiis, commemorata sunt.

Inter alia incommoda, conqueritur Hamæus, "Incursant nos passim ingrati pharmacopolæ, indocti Chirurghi, audaces agyrtæ, arrogantes chymici cum multis deviis, fatuisque mulierculis; et nè quid doleat desit, sunt qui prospera in casum, adversa in culpam transferre non dubitant."

Rege autem instaurato, resarciendarum impensarum, et firmandæ Collegii auctoritatis gratiâ, medicos omnes doctoratûs laureâ ornatos qui tunc temporis sine Collegii Licentiâ Medicinæ artem exercebant, in Collegium Sociorum Honorariorum titulo adsciscere consultum optimè est. Et quoniam ex his multi cùm moribus et ætate graves tum dignitatis et literarum famâ celebres erant, non tales in examinationem publicam sisti, suffragiis omnium decretum est. Hanc gratiam medici lubenter admodùm acceperunt septuaginta et in nostram Societatem cooptati fuerunt.

Sic Collegii opes reffectæ, auctoritas ampliùs stabilita erat. Attamen hominum proposita turbat frustaturque,

"Fortuna sævo læta negotio  
Ludum insolentem ludere pertinax"

Idem quod in nostris rebus evenit malè.

Haud enim multò posthàc Pestis Londino incumbens, pedetentim primùm repens, deinde pemiciter grassans, mox totam



urbem prorsùs occupabat. Moriebantur undique catervatim alii incuriâ, alii verò vel diligentissimè curati, nec ullum prorsùs Medicis repertum erat, quod morbo laborantibus adhibitum prodesset.

“Mussabat tacito Medicina timore.”

Mali magnitudine tandem victæ mentes omnium defecere; donec ad salutis desperationem conversi, Medici etiam quàm plurimi in rus evaserunt.

Paucis tamen, honore omni dignissimis, malo non cedere, sed fortiter morbi ingruentis periculum adire secum statutum est; qui sibimetipsis non parcentes in ægrorum ædes ubicumque ingressi se caritatis et benevolentiae officiis totos dederunt. Inter hos Whartonus et Hodgesius nostrates commemorandi sunt, qui in officio colendo vitæ honestatem omnem, in negligendo turpitudinem sitam esse judicantes, et saluti publicæ et aliorum, suo posthabito, commodo prospicientes, fixis aquilis immoti locum tuebantur. Ex his, Hodgesii nomen celebrare mihi præsertim pergratum et cordi est: iisdem enim ille Humanitatis sedibus nutritus erat, ac ipse egomet usus sum: quibus, Deo optimo maximo favante, omne quod mihi inest boni aut ad vitam commodi me prorsùs debere lubenter fateor.

Scholæ Regiæ Westmonasteriensis alumnus, inde in ædes Christi apud Oxonienses ascriptus, animum ad philosophiam et medicinam strenuè adjunxit. Artium magistri et medicinæ gradus ibi adeptus est. Non multò post Londini domicilium collocans, in nostram Societatem ex more, primùm Inceptor Candidatus, dein Socius cooptatus est, et tempore progrediente Harveii orationem habuit.

Per totam pestis stragem constante animo ægros curavit, Valetudinem suam integram, ut ipse narrat, modico Vini Hispanici usu et convivio satis lauto, decedente die, non sine colloquiis amænis lepidisque, continuò servans.

Hujus Morbi cursum Hodgesius, Thucydidis et Hippocratis



æmulus, sermone, inflatiore quamvis interdum, eleganti tamen è majori parte accuratissimè exposuit.

Utinam meritis tanti viri fortuna per totum vitæ cursum respondisset, et Hodgesio honoribus et opibus aucto supremum feliciter illuxisse diem, dicere potuissem! Eheu! ære alieno demersus in carcerem, animam efflavit miserabiliter.

Sed ad propositum redeo.

Peste crescente indies et suprâ modum urgente, cives nostri vix habentes quid agerent, aut quò se verterent, sacra ac profana æquè negligere cœperunt; et quod quisque sibi jucundum aut quæstuosum fore æstimabat, id palàm facere impudenter pergebat. Non Dei metus, non hominum leges eos a proposito turpi quamvis aut inhonesto arcebant. Quoniam enim omnes, honestos atque inhonestos, pariter morbo succumbere aspexerunt, virtutem colere aut negligere eòdem redire judicabant; et nemo se forsàn tandiù superstitem futurum esse ut pœnas delicti sui daret putabat.

Inter alia hujusce temporis effrænati flagitia, Collegii nostri foribus effractis, pecuniâ à Medicis illis, qui nuper in sociorum ordinem cooptati fuerant, collatâ spoliatum erat penitùs ærarium. Mox uno interposito anno, nostris rebus ruina incidit gravior: Ædes ipsæ cum bibliothecâ incendio immani, communi urbis calamitate, in cineres eheu! funditùs redactæ sunt.

Hæc in mentes vestras revocare tempestivum et operæ pretium mihi esse visum est, quia post ducenos annos nostri Collegii auctoritas pristina diminuta iterùm in simile, quâdam ex parte, discrimen venerat; et nosmetipsi majorum nostrorum exemplum, ut speramus auguriis melioribus, nuper consecuti sumus.

Medici enim quàm plurimi, Doctoratùs laureâ ornati, medicinæ facultatem sincerè, nec pharmaca vendentes, nec conficientes, intrâ nostri Collegii jurisdictionem, Collegii privilegiis contemptis, diù exercebant.



Nonnulli autem, scientiâ forsàn præditi, et favore publico florentes, per Angliam sine ullâ licentiâ ab Academiis Anglicis aut Collegio nostro concessâ, auctoritatem omnem spernere soliti erant. Horum uni et alteri jus ubique practicandi liberum Senatûs Statutum de rebus medicis nuper perlatum jam omnino permisit. Horum uni et alteri, qui scilicet unius anni spatio gratiam accepturi essent, Collegii nostri permissorum privilegia, nullâ prius apud censores habitâ examinatione, proponere nobis consultum fuit, eâ lege tantùm ut unusquisque suffragiis solito more in comitiis nostris se submittat.

Anno gratiæ jam ad finem perducto, medici plus quadringenti conditiones libenter acceperunt, et in permissorum ordinem cooptati sunt.

His omnibus omnia fausta et felicia precor.

Et si quis ex eorum numero hodiernæ celebrationi adsit, illi cæterisque omnibus dicere fas sit, "Collegium nostrum venerabile vobis jam honorem dignitatemque contulit; speramus itaque vos majorum nostrorum æmulos, Vitæ integritate, moribus, doctrinâ vosmet ita gessuros, ut famam exinde latiore et splendorum nactum Collegium nostrum, salutis publicæ et Medicinæ, ut semper, tutamen et decus, magis indes coràm omnibus effulgeat."

Per ducenos ferè annos usque ad hodierna tempora Collegii nostri annales ubique nominum clarorum qui cùm in medicinâ tantùm in scientiæ, et literarum omni genere prænituerunt, copiâ uberrimâ abundant. Nec, me iudice, socii recentiores, qui eheu! in nostrâ hâc ætate mortem obierunt, à majorum virtutibus degenerârunt.

Ut alios omittam, testor Chambers, in literis humanioribus eruditum, morbi dignoscendi peritum et curandi omnium in his nuperis temporibus habilissimum.

Testor Brightium, virum sagacem, in rebus pathologicis doc-



tissimum, cujus De Renum morbis albuminis fluxûs connexis indagationes quàm maximi ad medicinam momenti sunt. Caputum tàm carorum

“Quis desiderio sit pudor or modus?”

Testor insuper duos, qui in hoc præterito anno è vitâ discesserunt, et monumenta insignia sibi exegerunt; Blackallium nempe et Toddium. Hunc in medio vitæ spatio correptum: Illum annis plus octoginta gravem. De his pauca liceat proferre.

Blackallius, in omni Literarum Humaniorum genere apud Oxonienses institutus, Londinum inde commigravit, et in Sancti Bartholomæi nosocomio ad medicinæ principia intelligenda, et ad morbos observandos se totum dedit. Libros in nostrâ arte magistrorum, tùm veterum, tùm recentium, diligenter in manu versabat, et in ægrorum cameris tabulis mandabat si quid forte novum aut observatione dignum in morborum cursu et curatione notavisset, Præcepto Verulamii scilicet obtemperans, “Qui ad observandum adjicit animam, ei in rebus etiam quæ vulgares sint, multa observatu digna occurrent.”

His doctrinæ et experientiæ præsidiis munitus Doctoratûs gradum apud Oxonienses adivit. Deinceps in urbem Exoniensem se recepit; ibique artem suam fructu laborum maximo et famâ indies auctâ penè ad finem vitæ exercuit.

Confitentur omnes qui cum illo consuetudinem habuerunt in arte suâ Blackallium fuisse magistrum, in rebus dubiis sagacem, in agendo promptum et scientem, tantâque in ægrum animi intentione, ut nihil actum putaret, donec vel cogitatio crebra, vel labor indefessus aliquod tandem auxilii afferrent.

Literis autem humanioribus omnigenis imbutus, et vi memoriæ mirâ admodum pollens, ita innatis facetiis sermones immiscuit, ut audientium omnium voluptatem sibi conciliaverit

Annos ferè abhinc quinquagenos opus suum, “De Hydropicis



et præcipuè de eâ Sanguinis parte, quæ coagulari possit, cum urinâ excretâ" prælo commisit, in quo summâ perspicuitate et doctrinâ rem hactenùs ignotam exposuit, et quasi è tenebris in lucem eduxit.

Si omnia in hoc sæclo prolata, quæ pathologiam spectant, perpendamus, fortasse id albuminis in urinâ excreti inventum imprimis æstimandum est.

Blackallii idcirco nomen in numero eorum qui medicinæ et mundo profuerunt, jure semper habebitur.

Toddus, docti anatomix et chirurgix apud Dublinenses Professoris filius, postquam ex ephelis excessit, in Juris Civilis studia incumbabat. Patre autem præmaturâ morte abrepto, Medicinæ facultatem colere magis ad rem fore judicans protinùs huic facultati et scientiis, quæ cum eâ consociatæ sunt, in Sanctæ Trinitatis Collegio Dublinensi diligenter operam dabat.

Posteà in Angliam commigratus, apud Oxonienses Doctoratùs ad gradum promotus, Collegii nostri in Sociorum numerum cooptatus erat. Non multò post, Anatomix et Physiologiæ in Regis Collegio apud Londinensis electus, prælectionibus suis, famæ, quam opus eximum physiologicum amplius confirmavit, fundamenta posuit. Ad nosocomium intereà (quod Collegii suprâ dicti nomen hodiè gerit) condendum operam efficaciter admodùm navavit; ædificioque tandem ad finem perducto, ipse unus è medicis, primò ei designatis, exstitit. Officio sibi ita mandato summâ cum auctoritate et summo favore apud alumnos per multos annos feliciter functus est, donec haud multò ante decessum suum, praxeos apud privatos onus indies crescens isto se abdicare monuit.

Sic vixit Toddus,

"Noctes atque dies nitens præstante labore  
Ad summas emergere opes," famamque perennem.

Et cùm tanti laboris præmia merita jam delibabat, dum omnia illi arridebant, et nomen ejus in ore omni populo erat, morbi latentis diù



insidiæ de improvise proruperunt et, hæmorrhagiâ subito ortâ, mors Eheu! illum continuò occupat.

Medicina, varia et mutabilis semper, nunc hoc nunc illo medendi methodo gaudet.

In hujusce sæculi initio Depletio omnigena medicis quàm plurimùm placuit.

Stimulantium hodiè, Vini præsertim, spiritûs Vini Gallici et similium obtinuit largior usus. Hujusce methodi auctorem multi Toddium asserunt. Verùm enimverò non Toddio, non uni aut alteri debemus hanc curandi rationem, quæ gradatim, mutatis aeris forsàn, necnòn corporum, conditionibus, prævaluit.

Nosocomii cujusvis annales hæc, ni fallor, planè demonstrant. Cuius in Sancti Georgii Nosocomii annales per annos jam actos triginta servatos inspicienti hæc vicissitudo patet.

Venæ sectio per id tempus singulis annis ibi rarior fit. Cucurbitulorum, Hirudinum usus, quotannis diminutus, hodiè vix ullus est. Vini contrà, spiritûs Vini Gallici, cerevisiæ expensa, perpetuò aucta, suprâ modum jam ampliatur.

Toddium fortasse stimulantium usum largum, et insolitum in inflammatione, suaserit; et nobis certè periculum est, nè plus quàm commodum, immò temerè, hunc medendi methodum prosequamur. Sed Toddium idcirco, necnòn Brightium, mortuos, vix nostris oculis amotos, contumeliis fœdis lacessere, facinus est indignum; nec causa aut ratio adduci potest quin omnium liberalium exprobatone tale flagitium castigetur.

Non sic Harveii vestigii sistendum est.

Quòd si apud nos hodiè res ita se habeant, proh Pudor et dedecus! nonne omnium maximè interest, et insuper adprimè solatio habendum est, ad exempla virtutis et liberalis animi, quæ majores nostri, et ante alios ipse Harveius noster exhibuerint, posse nos confugere?

Sed tandem vela contrabam necesse est, nec quidem, ut arbitror, finem meæ orationis commodiùs faciam, quàm rursùm in mentes vestras revocare, quantùm ad medici veram personam effingendam literæ humaniores valeant. Hisce à teneris imbutus nemo est, qui non iræ turpique invidiæ modum ponere sciat; nemo, qui non detrectatoris partes penitùs oderit. Quippe verus Medicus hoc sibi proponit, prodesse omnibus, obesse nemini, vitiis infirmitatibusque animi pariter ac corporis in melius redigendis vim omnem studiumque impendens.

Hæ nobis sint semper artes! Istim Medicinæ praxim, immò religionem sacrosanctum nos fideliter, precor, observemus ac tueamur, salvam, ut accepimus, posteris tradituri.

Valete.

FINIS.



The first part of the paper is devoted to a general  
 discussion of the problem. It is shown that the  
 problem is equivalent to a problem in the theory  
 of differential equations. The second part of the  
 paper is devoted to a detailed study of the  
 problem. It is shown that the problem is  
 solvable in closed form. The third part of the  
 paper is devoted to a study of the properties  
 of the solutions. It is shown that the solutions  
 are unique and that they depend continuously  
 on the data. The fourth part of the paper  
 is devoted to a study of the asymptotic  
 behavior of the solutions. It is shown that  
 the solutions approach a certain limit as the  
 independent variable goes to infinity.